a/ ~~totidem 3.~~ annis 42 et d. 42 habet 2.3.

b/ c. m. v. defunt 1.

~~c/ ita f. 2~~ ~~defunt~~

F que apud ecclesias multas habetur, plenius continentur. Porro post obitum sancti viri

+

b/ ~~mausoleo 1. 2~~ mausoleo 3.

a/ religquie 1.

norum imperatore beatus Maternus primus sedem pontificalem Colonie Agrippine adeptus, post obitum beatorum Eucharii atque Valerii Trevirorum insimul et Tungerensium episcopus fuit, seditque in pontificatu annis 40 et diebus 40 a/. Predicavit autem idem vir sanctus populo fidem christi, et sua sancta predicatione et miraculorum virtute b/ populos illarum civitatum ad dominum convertebat. Fecit itaque extra portam Colonie civitatis, quae hodie dicitur porta clericorum, unum breve et modicum oratorium, ubi ipse populum instruebat, et contemplationi sancte atque orationi vacabat. In quo loco nunc est fundita modica capella, et propter antiquitatem ex vi nominis ad antiquum summum ab incolis nuncupatus. Tandem postquam cursum predicationis sue bonum et consumaverat, feliciter migravit ad Christum in Colonia, anno domini scilicet 134, sepultus ibidem. Cujus vita et gesta sancta in legenda ejusdem sancti viri. Tungerenses et Treverenses, quorum simul cum Coloniensibus fuerat episcopus, profecti ~~singuli~~ Coloniam singuli corpus sui antistitis repetebant. In qua quidem disceptatione ad exhortationem angeli dei in specie cujusdam senis honorabilis apparentis, funere beati Materni cuidam navicule imposito, sine remige et absque nauclero navicula contra impetum Reni fluvii sursum divino miraculo ferebatur et in brevis hore spacio miliari confecto, stante ad littus navicula, in loco qui propter tristiciam Coloniensium suo antistite privatorum Ruden-kirchen est vocatus, sed nunc mutato nomine Rodenkirchen dicitur, Treverenses sancti viri reliquias receperunt et ad suam civitatem Treverim deferentes, eas ibidem mausoleo b/ condiderunt. Baculus vero sancti Petri, quo dictus sanctus Maternus a morte fuerat suscitatus, prout habetur supra, hoc modo ablatus fuit postea Treverensibus. Nam cum post tempora sanctus Servatius, Tungerensium et Traiectensium episcopus, per spiritum divinitus cognovisset, universas Gallie civitates per Attilam, Hunnorum regem, esse vastandas et ecclesias sanctorum incendendas, preter ecclesiam beati Stephani Metensis, et cum idem vir sanctus haec Treverensibus et aliarum civitatum fidelibus intimasset; omnes reliquias a/ sanctorum Treverensium una cum baculo sancti Petri Metis ad ecclesiam sancti Stephani transtulerunt. Sed post vastationem Hunnorum predictam, pace ecclesiis reddita, dicti Treverenses omnes suas reliquias preter dictum baculum sancti Petri a Metensibus receperunt. Posteriori vero tempore regnante primo et magno Ottone imperatore, Bruno frater ipsius imperatoris, archiepiscopus Coloniensis, magna fretus potentia, prefatum